

nis officiis et precibus Ecclesiae nacti sunt, S. Petrus Chrysologus, qui obiit circa an. 450, S. Leo M. defunctus an. 461 (1), S. Isidorus hispalensis mortuus an. 636, et S. Anselmus defunctus an. 1109. Benedictus XIV, tres condiciones ad constituendum *Ecclesiae doctorem* necessarias designavit, *eminentem doctrinam, insignem vitae sanctitatem*, et praeterea Summi Pontificis aut concilii generalis legitime congregati *declarationem* (2).

Post patrum antiquorum aetatem doctoribus Ecclesiae annumerati sunt S. Thomas de Aquino, *doctoris angelici*, et S. Bonaventura, *doctoris seraphici* titulo insignis, uterque obiit an. 1274, tempore concilii lugdunensis II; ille 7 Martii, cum ad concilium accederet; hic 14 Julii paucis post primam sessionem diebus. Videntur mihi uterque velut communis limes inter aetatem patrum, et scholasticorum, quorum decora et coryphaei sunt ne velut per abruptionem et saltum ab una ad alteram aetatem traseretur. Nempè, ut animadvertit Benedictus XIV, in cit. const.: "Militantis Ecclesiae auctor, rectorque Deus, quum eam super fundamentum apostolorum et prophetarum aedificaverit, summoque angulari lapide Christo Jesu in-nixam voluerit, tum provido cavet consilio, ut ad illius custodiam atque praesidium usque in saeculorum finem advigilarent egregii sanctique doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo fidelium mores ad sanctitatem, justitiamque componerent, sed etiam doctrinae vi et excellentia eosdem in fidei sinceritate, et salutaris scientiae veritate continerent."

In numero patrum, vel doctorum Ecclesiae habendi non sunt, quibus praerogativa antiquitatis, vel doctrinae iudicio Ecclesiae adjudicata non est, etsi caeteroquin fama sanctitatis vel doctrinae floreat. Multo etiam minus eo honoris gradu censentur, quorum vita aut doctrina improbata est ab Ecclesia. In his memorandi imprimis Origenes et Tertullianus, magni uterque nominis inter veteres Ecclesiae, non patres, non doctores, sed scriptores. De utroque eleganter disserit S. Vincentius lirinensis c. 23 et 24 commonitorii, in quo ad constantiam tenendae fidei ac veteris doctrinae contra novatores adhortans, verba Moysis Deut. XIII, profert: "Si surrexerit in medio tui propheta,—et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos—non audies verba prophetae illius; quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra (3)." Hos falsos prophetas cum comparasset vir sanctus cum novatoribus et adversariis antiquae doctrinae, docuissetque, "quod in Ecclesia Dei tentatio esset populi, error magistrum, et tanto major tentatio, quanto ipse esset doctior, qui erraret;" id dein confirmat tristi exemplo Origenis et Tertulliani. Ac de Origene, enumeratis ejus laudibus, subjungit: "Hic Origenes tantus ac talis dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibi que satis credit, dum parvi pendit antiquam christianae religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnens, quaedam Scripturarum capitula novo more interpretatur; meruit ut de se quoque Ecclesiae Dei diceretur: Si surrexerit in medio tui propheta,—et dixerit tibi: Eamus et sequamur deos alienos;—non audies verba prophetae illius; quia tentat vos Dominus." Tertulliani quoque ingenium, doctrinam, labores et libros cum praedicasset, ita prosequitur: "Et tamen hic quoque post haec omnia, hic, inquam, Tertullianus

(1) Ex constitut. Benedict. XIV, quae incipit; Militanti Ecclesiae, data an. 1754, die 15 oct.

(2) De beatificat. et canonis. l. 4, part. 2, c. 11, n. 13.

(3) In eundem sensum et applicationem cadunt verba Pauli, I Cor. XI, 19: "Oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis."

"catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustae fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia, fecit ad extremum quod de eo beatus Hilarius quodam loco scripsit: Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem, et fuit ipse in Ecclesia magna tentatio."

## § II.

## DE PATRUM AUCTORITATE GENERATIM.

Praemissa patrum, doctorum, et scriptorum ecclesiasticorum notione, de ipsis jam sanctis Ecclesiae patribus generatim dicendum eos exstitisse praedicatores fidei, traditionis custodes ac testes, Scripturarum interpretes, praecipuos morum, canonum magistros, ecclesiarum defensores, insignes Dei amicos, haereticorum, schismaticorum ac novatorum omnium acerrimos hostes, adeoque eodem tempore theologos dogmaticos polemicos, moralistas, canonistas, ascetas. Nondum enim tum quidem sacrarum disciplinarum ea quae nunc obtinet, divisio facta erat, quemadmodum c. I. animadverti. Quantum in Jurisprudencia usum habeant eorum scripta, patet cum ex pluribus Decretalium capitulis, tum ex decreto Gratiani maxime, quod is ex sententiis venerabilium patrum magnam partem contexit, exemplo quodam Triboniani, qui in Digestis responsa VV jurisconsultorum, imperatoris Justiniani jussu, digessit. Hinc elogium, quo Severus Sulpitius l. 2, jurisconsultum appellavit S. Athanasium, in singulos antiquos patres cadere citò intelliget, qui in volumine juris sacri, aut ipsis patrum operibus majore versatur studio, quam in perlegendis opusculis minorum scriptorum aetatis nostrae (1).

Cum in jure sacro maximus sit usus Verbi divini traditi et scripti, in memoriam revocanda lex concilii tridentini, quae sess. IV. vetat sacras Scripturas contra *unanimem consensum patrum* interpretari, uti dein in publica fidei professione quisque jurato spondet, eandem *juxta unanimem consensum patrum* accipere et interpretari. Neque dicas: *Singuli* patres possunt falli in Scripturis interpretandis: ergo *universi*. R. 1. Id perinde est ac si dicerem: Singuli patres in concilio oecumenico congregati falli possunt in declaranda fide et divino jure: ergo universi, si ve totum concilium oecumenicum falli potest. Nempè omnes patres in hisce causis errare non possent, quin simul erraret Ecclesia universa, quae ex illis conflatur et cum illis consentit; id quod repugnat Christi promisso ac providentiae divinae. 2. Ipsa concilia generalia doctrinae patrum inhærent, et ex illa errores condemnant. "Mentis aciem, inquit Pallavicinus, in Hist. concil. tridentini, ad veterem Ecclesiae consuetudinem cursim convertamus, nonne synodus ephesina opinionem Nestorii, ut haereticam, patrum auctoritate damnavit? Haeresim Helvidii S. Hieronymus? S. Basilius eadem auctoritate S. Spiritus divinitatem, uti fidei dogma, Amphilochio comprobavit? Eadem Augustinus tanquam haereticos modo pelagianos, modo donatistas rejecit? Eadem S. Leo palam fecit apud Leonem Augustam, Eutychem a fide errasse? Idem fecere Agatho pontifex max. in sexta Synodo, act. IV, contra monothelitas, et postremis temporibus concilium florentinum adversus Graecorum errores. Neque solum hoc tanquam urgente argumento usi sunt in haeresi praescribenda, sed etiam disertè affirmarunt, illud efficax esse.

(1) Id Sulpitii de S. Athanasio elogium, inquit Daniel Papebrochius, ad diem 2 Maii, pag. 189, de sola canonum ecclesiasticorum scientia velim accipere, non autem in ea latitudine, qua ad finem anni 311, dixit Baronius, quod non tantum valde imbutus fuit theologis facultatibus, sed etiam Jurisprudenciam optime calluit.

Ecce verba ephesini concilii: "Invecti sumus in Nestorii sceleratam præsumptionem, quod sacram Scripturam se primum et solum intelligere et omnes eos ignorasse jactaret, quicumque ante se magisterii munere præditi divina eloquia tractavissent; et præterea universam Ecclesiam errasse, quæ ex illius sententia "doctores ignorantes sectabatur." Majore perspicuitate idem explicavit S. Augustinus, libro secundo in Julianum: *Qui sanctos rejicit, fatetur se universam Christi Ecclesiam rejicere.* In eandem sententiam disserunt S. Hieronymus ac reliqui patres; sed iis, ne longum faciam, omissis, ita scribit decima quinta synodus toletana: *Quidquid creditur contra SS. patres, intelligitur aberrare a recta regula fidei* (1).

## § III.

## DE IPSORUM AUCTORITATE AD LEGEM CONSTITUENDAM.

Si de lege primum constituenda agitur, nec doctrina eminens, nec vitæ sanctitas sufficit, sed nimirum potestate publica et legislativa opus est, id quod dudum animadvertit Gratianus princip. dist. 20: sententiæ igitur venerabilium patrum legem et canonem per se non efficiunt, nisi in subjectis casibus:

1. Si sententiæ patrum, qua rectorum Ecclesiæ, cui præerant, in vim legis conceptæ, aut inter canones conciliorum annumeratæ fuerint, tum auctoritatem habent eandem, quam illorum conciliorum canones.
2. Si auctoritate Romani Pontificis in vim legis, aut in publicum canonum codicem assumptæ sint: tunc enim locum habet principium Justiniani: "Omnia enim meritò nostra facimus; quia ex nobis omnis eis impertiatur auctoritas" (2).
3. S. Leo P. IV, cum in epistola ab episcopos Britanniae enumerasset concilia, et decretales pontificum quæ in ecclesiasticis judiciis usui esse debeant, addidit domum: "Si tale emerit vel contigerit inusitatum negotium, quod minimè posset per istos (canones) finire; tunc si illorum, quorum meministis, dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori et cæterorum similiter sanctorum doctorum similium reperita fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda; vel ad apostolicam sedem referendum de talibus (can. I, dist. 20)."

## § IV.

## REFELLUNTUR MODERNI QUI PATRUM AUCTORITATE ABUTUNTUR.

Sed nostra quidem ætate, nec dogmata fidei, nec leges Ecclesiæ recta impetunt via homines maligni, sed ferè per anfractus, aut cuniculis oppugnant; fallaci specie humanarum rationum, aut Scripturæ verbis pravè intellectis, tendentes in oppositos errores; uti cum exaggerantes præceptum christianæ charitatis, tolerantiam prædicant; cum principum potestatem ad causas religionis provehunt; cum internæ religionis commendantes studium, cultum externum destruunt; cum potestatem episcoporum extollunt, ut pontificiam deprimant. Idem faciunt agentes de votis religiosiis, de jejuniis et castigationibus carnis, de bonis ecclesiasticis, de

(1) Pallavic. Hist. conc. trid. l. 6, c. 18, n. 3, conf. S. Vincentii lirinensi commonit. c. 42.

(2) L. 1, § 6, c. de veteri jure enucleando. Eodem principio nititur decisio pontificis c. 22, de præb. in 6, ibi cum provisio ipsius legati (pontificis) post impertitam a nobis auctoritatem nostra censeatur effecta.

sacris ritibus et ceremoniis, de psalmodia sacra, quæque sunt alia generis istius plurima, ac propè omnia, quæ longè aliter olim exponebantur in sancta Dei Ecclesia. Atque his omnibus locis plurimum valet SS. Patrum auctoritas. Nam, ut S. Vincentius lirinensis ait: "Cum primum mali cujusdam erroris putredo erumpere cœperit, et ad defensionem sui quædam sacræ legis verba furari; statim interpretando canonum majorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud, quodcumque exsurget, novitium dogma, ideoque profanum, et absque ulla ambage prodatur, et sine ulla retractatione damnetur (1)." Cupidi novitatum homines ævi nostri defensores sacræ antiquitatis contemnere, deridere, acensare non possunt, quin una sanctos Ecclesiæ patres contemnant, derideant, accusent. Quæ res bonis omnibus magno solatio et incitamento tuendæ constanter pristinae consuetudinis ac sententiæ esse debet.

Utuntur auctoritate patrum etiam hostes Ecclesiæ et antiquæ traditionis non ad corrigendos, sed comprobandos aut tegendos errores suos; nec mirum: cum homines indocti et instabiles etiam *sacras Scripturas depravent ad suam ipsorum perditionem*, uti apostolorum princeps dudum conquestus est. (II. Petr. III, 16.) Dicit non potest, quoties adversarii pontificiæ auctoritatis jactitent, atque ad suos sensus contorqueant verba illa S. Cypriani: "Unus est episcopatus, cujus à singulis in solidum pars tenetur." Quæ cum absque dubio ambigè scripta sint, atque ab aliis aliter explicantur, quam obsecro, vim habere possunt? Ut pondus habeant auctoritates patrum, ante omnia necesse est ut de mente ac sententia ipsorum certò constet. Qui disciplinam Ecclesiæ de juribus peculi clericali penitus enervare contendunt, S. Thomam obtrudunt, quem diversis locis diversè locutum esse: nec sibi constitisse in hac re, studiosissimi operum ejus lectores testantur, comprobantque, productis verbis S. Doctoris. Nempè, ut appositè hoc iterum loco de istiusmodi hominibus scripsit S. Vincentius lirinensis: "Captant plerumque veteris cujuscumque viri scripta paulò involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant (In commonit. c. 11)."

Multò pejus est auctoritatem patrum quorundam a reliquis dissentientium afferre in causa, in qua humanitùs quidquam ipsos fuisse passos judicio posteriore Ecclesiæ constet. A S. Victore P. in causa paschatis dissensit Polycrates, Ephesiorum episcopus, cum provincia Asiæ proconsularis; in causa baptismi ab hæreticis collati a S. Stephano P. dissensit S. Cyprianus cum pluribus Afris et cum Firmiliano episcopo iconiensi; dissensit in eadem causa frequens concilium carthaginiense; sed quod reprobatur catholica Ecclesia. Ad Asianos provocarunt quatuordecimani; ad Afros donatistæ. "O mira rerum conversio! inquit S. Vincentius lirinensis: "cit. c. 11, auctores ejusdem opinionis catholici, consecratorès verò hæretici judicantur, absolvuntur magistri, condemnantur discipuli, conscriptores librorum filii regni erunt; assertores verò gehenna suscipiet. Nam quis illud sanctorum omnium et episcoporum et martyrum lumen, beatissimum Cyprianum, cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis contra

(1) In commonitorio c. 36, secundum hanc Vincentii regulam primatum RR. pontificum, et necessitatem omnibus ecclesiis impositam in negotiis fidei et divini juris sentiendi et consentiendi cum cathedra Petri et doctrina patrum luculenter probavit Petrum Ballerinius. De independentia et libertate Ecclesiæ in causis religionis et sacramentorum gravissimè disseruit illust. archiep. parisiensis Christophus de Beaumont. De peculi clericorum ac bonis eorum ab Ecclesia acquisitis ex doctrina patrum tum singulorum, tum in synodis congregatorum eruditissimè disseruit ante annos aliquot Franc. Carol. Mainone collegiæ ad S. Mauritium Augustæ can. cap. et custos.

"tam sacrilegus, qui donatistas et cæteras pestes, qui illius auctoritate concilii re-  
"baptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?"

Si errores patrum de quibus mox dixi, non amplectuntur hodierni novatores, ad  
illud exemplum eorundem obtendentes rectè concludere se posse opinantur, apos-  
tolicæ sedi a pastoribus inferioribus jure resisti posse, atque impunè: hinc quæ in  
æstu contentionis incautiùs atque acerbùs contra apostolicam sedem effusa sunt  
a viris sanctis, ea in publicam lucem proferunt, tanquam insultantes cathedræ Pe-  
tri tantaque auctoritate gloriantes, cum longè potiore ratione colligere deberent,  
toties a veritate ipsa dissensisse viros cæteroquin probos, quoties a sententia roma-  
ni præsulis dissensere. Sed prosequamur S. Vincentii elegantem locum: "Quo-  
"rum ego nequitiam duplici odio dignam judico; vel ex eo quod hæreseos venenum  
"aliis propinare non pertimescunt, vel eo etiam quod sancti cujusque viri memo-  
"riam, tanquam sopitos jam cineres, profana manu ventilant, et quæ silentio sepe-  
"liri oportebat, rediviva opinione diffamant; sequentes omnino vestigia auctoris sui  
"Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque  
"irridendam cæteris enuntiavit. Undè tantam læsæ pietatis meruit offensam, ut  
"ejus posterii ipsius peccati sui maledictis obligarentur (1)." Quandò rectiùs egit;  
scripsitque S. Augustinus: "Jam illa, inquit, quæ in Stephanum irritatus ef-  
"fudit (B. Cyprianus) retractare nolo, quia et non opus est, et ea præterire me-  
"lius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt (l. 5. contra donatis-  
"tas, c. 22)."

Non verentur quidam ignorantiam philosophiæ et maximè juris publici univer-  
saliis sanctis Ecclesiæ patribus objectare. Miror quod non majorem etiam illarum  
rerum inscitiam et stupiditatem exprobrant piscatoribus, quos in apostolos elegit  
Dominus; quasi verò ex humana ratione penderent res divinæ, et religionis causæ.  
Jus illud hodiernum quod publicum universale appellant, quatenus ad negotia  
religionis et Ecclesiæ referri solet, utique ignorarunt SS. Ecclesiæ patres et doc-  
tores; ignorarunt artificia juris illius, res sacras connectendi cum profanis, et con-  
nexas profanandi; ignorarunt illos dolos, specie communis boni captandi gratiam  
laicorum, captamque instigandi contra libertatem sacrosanctæ Ecclesiæ; ignora-  
runt vias subvertendi ecclesiasticam disciplinam, subversamque arbitrio politico-  
rum subjiciendi. Sed hac de re alius suppetit tractandi locus.

De perverso usu auctoritatis, qua sancti Ecclesiæ patres in disciplina sacri ju-  
ris polleant, dici de quibusdam scriptoribus potest: Dum vitant stulti vitia, in con-  
traria currunt. Quidam penitùs eandem conculcant et explodunt more veterum  
sectariorum. Sanè de auctoritate S. Augustini arroganter respondisse fertur Pe-  
lagius: *Ecquis est mihi Augustinus?* Itemque Julianus, qui tanti nominis virum  
*scriptorem pænum et numidam præstrictæ frontis vocitavit.* E contrario justè ab  
Alexandro P. VIII. damnata est propositio jansenistarum n. 30: "Ubi quis inve-  
"nerit doctrinam in S. Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere et  
"docere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam." Ita ad Augustinum, qui om-  
nes hæreticos et schismaticos sui temporis unus omnium maximè exagitavit, per-  
petuòque insectatus est, posterioris ævi sectarii non pauci, nec rarè provocarunt,  
non quod ab eorum partibus stet, sed quoniam tam multa et tam variè scripsit, ut  
facile fuerit omnibus post illum hæreticis aliquid de ipso contorquere, atque alior-  
sum quam ipse dixerit vertere; quemadmodum a viris eruditissimis dudum ani-

(1) Ivo carnotensis simili in causa appositè usus est exemplo Chami, apud Natal. Alexandr.  
t. VII, diss. IV, art. 11.

madversum est. Quam modestè de se scriptisque suis senserit Augustinus, docet  
apud Gratianum, canon. 4, dist. 9, ex ejus opere quodam excerptus: "Negare non  
"possum, nec debeo, sicut in ipsis moribus; ita multa esse in tam multis opusculis  
"meis, quæ possunt justo judicio et nulla temeritate damnari (1)."

## ARTICULUS IV.

DE AUCTORITATE ET ALLEGATIONE DOCTORUM, ET INTERPRETUM JURIS SACRI.

## § I.

*Auctoritatis notio, et allegationis regulæ.*

In jurisprudentia sæpè nominatur *auctoritas* imperantium, judicium, magistra-  
tuum, patrum, præsidum; dein auctoritas rerum ex præscripto legum vel publicis  
auspiciis gestarum, ceu auctoritas instrumenti, contractus, decreti, rei judicatæ, se-  
natus consulti: quæ undè vim habeant, obscurum non est. Tribuitur verò *aucto-  
ritas* etiam peritis in arte sua, etsi potestate non polleant ferendi leges, aut con-  
troversias decidendi, ita ut obtemperare et acquiescere necesse sit: sic nominat  
*auctoritas doctissimi viri Hippocratis* (l. 12, d. de statu hominum). Et juriscon-  
sultus Celsus ait: *Magnopere me Tuberonis et ratio et auctoritas movet* (l. 7 de  
suppellectili legata). Sumitur ergo hoc loco auctoritas pro vi illa, quam hominum  
privatorum quidam, sed in arte sua peritorum sententiæ, ad persuadendum, et si-  
militer judicandum habent. Atque hæ sententiæ tum in libris posteriorum scrip-  
torum, tum in scriptis jurisconsultorum sæpissimè atque adèd profusè indicari, lau-  
darique, seu *allegari* solent. De qua re videntur quædam regulæ statuendæ.

Imprimis distinguendum resne dogmatica sit et quæstio juris, an historica, de  
qua testimonium auctoris affertur. De hoc posteriore genere, quantam fidem me-  
reantur testes, singulares sunt regulæ critices, quarum præcipuæ exstant in utro-  
que jure titulis de testibus et attestationibus; item de vi instrumentorum. Hoc lo-  
co agitur de momento ac pondere quod ad persuadendum atque assensum obti-  
nendum habent aliorum scriptorum, in quæstione juris aut interpretatione vel ap-  
plicatione legum similiter sentientium, judicia et pronuntiata. Alia est ergò alle-  
gatio auctorum, qua velut digito indicantur loci, in quibus argumentum quoddam  
distinctè et pro dignitate expositum, tractatumque inveniri potest; alia verò, qua  
ad confirmandam propositam sententiã auctorum nomina recitantur, quos in si-  
mili causa vel controversia similiter judicasse asseritur; quanquam contrarium re-  
periatur sæpissimè, certè admodum dispar, si quis investigandi citatos locos co-  
piam habeat vel otium.

Si laborem judicandi de proposita quæstione ipsi suscipimus, eamque ex genui-  
nis propriisque principiis definire conamur, tum certè in sententia, quam ferimus  
tandem, conspirante aliorum opinione, magnoperè *confirmari* nos experimur, at-  
que adèd delectamur, et propè exsultamus, si in re difficili, diùque expensa fortè  
offendimus quosdam, qui similiter cogitarint. At plerique omnes tanti faciunt aucto-  
res, ad quos tanquam tempestate delati adhærescunt, ut omnem cogitandi, judi-  
candique laborem sibi præreptum putent, nec relictum aliud, nisi ut ingentem in  
eamdem opinionem convenientium scriptorum catalogum texant. Quo fit ut sæ-  
pè nec vim propositæ quæstionis nec sententiæ ipsorum auctorum assequantur,  
quos laudant, et a partibus suis stare autumant.

(1) Pro casu, quo PP. consensus in causa fidei vel divini juris non habetur, adde ex Gra-  
tiano eadem dist. 9, can. 5, 8, 9, 10.

## § II.

## DE CASIBUS QUIBUS AUCTORES COMMUNITER CONSENTIUNT.

Si qua in re, ad jura divinæ religionis, Ecclesiæ, ac sedis apostolicæ pertinente communiter verèque consentiant veteres auctores, id sine dubio maximi ponderis est ad persuadendum; eo etiam ex capite, quod aliis locis plurimis dissentiant inter se, ac si qua ratione poterant, alter alteri sæpè studio contradixisse videantur, ut proin sola explorata veritas consensum extorquere, et adversarios conciliare pœtuerit. Sed scholasticorum quidem tractatibus et disputationibus vehementer infensi sunt belli homines ætatis nostræ, exemplo scilicet animoque docti sectariorum prioris et nostri ævi, qui, ut sapienter animadvertit Melchior Canus, scholasticos vehementer aspernantur, "eo quod intelligunt, catholicam fidem, quam expugnare moliantur, horum studio doctrinaque muniri. Agnoscunt sanè lupi canes eosque odio persequantur; et scholæ nomen istis invisum est, quæ lupos arcet a gregibus, et eorum insidias porrò cavet. Connexæ quippè sunt semper postnatam scholam, scholæ contemptio, et hæresum pestis (1)."

Non id ago ut scholasticorum quorundam, aut etiam veterum juris interpretum barbariem, aut doctas nugas, aut longas contentiones de rebus obviis, aut frequentes digressiones a proposito argumento defendam. Sed hoc aio, propter quorundam, atque adeò multorum vitia non esse universam scholasticorum coronam traducendam, multò etiam minus ipsam scholam contemnendam. Addo etiam, minus nocuisse sacrosanctæ Ecclesiæ, hominumque saluti obscuras veterum de divinis rebus quæstiones, quam jactatas falso recentiorum errorum demonstrationes; tolerabiliorem fuisse apud antiquos scriptores historicarum rerum ignorantiam, quam hodiernam earundem depravationem; plus etiam commodi attulisse religioni atque Ecclesiæ veteres scholasticos et sacri juris interpretes horridulo scribendi genere, quam ævi nostri scriptores polito suo mollique sermone rationis et religionis propèmodum experte; optabiliorum fuisse medio ævo integritatem fidei, quam litteratam nostrorum tempore perfidiam. Ornantur haud dubiè divinæ veritates eruditionis etiam humanæ splendore; sed eodem minimè nituntur, neque hominum doctrina et sapientia constant res Ecclesiæ sanctæ Dei. Hinc Agatho P. cum legatos mitteret ad concilium generale VI, seu constantinopolitanum III, parum doctos scilicet atque eruditos pro temporum illorum ratione, in hanc sententiam scripsit ad Constantinum imperatorem, et Heraclium ac Tiberium Augustos: "Apud homines in medio gentium positos, et de labore corporis quotidianum victum cum summa hæsitacione conquiritentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia, nisi quod quæ regulariter a sanctis atque apostolicis prædecessoribus, et venerabilibus quinque conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, et sine ambiguitate a patribus traditæ fidei, conservamus." Addit se præcepisse legatis, ut quid de proposita controversia sentiat romana et apostolica Ecclesia, ac spiritualis mater; id imperatori et Augustis suggererent, "non per eloquentiam sæcularem, quæ nec suppetit idiotis hominibus, sed per sinceritatem apostolicæ fidei (2)."

(1) De locis theolog. I, VIII. Addenda hic est propositio 29 Wicleffi in conc. constantiensis damnata: Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta et tantum prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus.

(2) Concil. edit. Mansi t. XI, col. 235.

Hactenùs dicta pertinent ad hypothesim, qua auctores catholici in causa divinæ religionis, Ecclesiæ, ac sedis apostolicæ communiter verèque consentiunt; ac tum quidem illis refragari, temerarium censet Melchior Canus, qui sub finem ejusdem libri VIII addit: "In canonum interpretatione Ecclesiæ judices et administri concordem omnium jurisconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, et non communi omnium jurisperitorum duceretur, sine dubio suo illum iudicio Ecclesia coerceret." Hæc gravissimi viri verba laudat eruditissimus pontifex Benedictus XIV, in const. 113, t. 1 Bullarii, missa ad archiepiscopum S. Dominici in Hispaniola, qui rationibus ex Boehmero protestantico subreptis contra communem canonistarum sententiam liberos ex adulterio procreatos per subsequens matrimonium legitimi asserebat. Respondit inter alia sapientissimus pontifex, § 9, in hunc modum: "Profectò ut ingenuè loquamur, venerabilis frater, displicet nobis tua hæc ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius et audaciùs quàm par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuassum manet opinioniones doctorum communes non ita facilè parvi pendendas esse; idque didicimus ex cel. vestræ Melchioris Cano, qui in suo tractatu de locis theolog. I, VIII, c. 7, ita de communibus canonistarum sententiis, in his, quæ pertinent ad doctrinam canonum, loquitur." Subnectit dein verba paulò ante ex Cano exscripta.

## § III.

## ¿QUID, CUM ADSIT AUCTORUM PUGNA?

Si in unam sententiam communiter non conveniunt auctores, sed alii contra alios pugnant viri docti, dici solet eorum testimonium non plus probare, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobavit. At undè hæc gravior auctoritas æstimanda est? Sine dubio ea pendet ex ampla eruditione, profunda cogitandi vi et solertia judicandi et acumine ingenii, casus varios, qui similes apparent, accuratè distinguendis, aut dissimilium analogiam inspicientis, ex longa item rerum tractione, maturitate ætatis, integritate animi, et studio veritatis, variisque istarum laudum gradibus. Atenim hæc omnia explorare de auctoribus, qui magno numero allegari solent, eaque inter se comparare, multò difficilius plerumque est quàm ipsam propositæ quæstionis veritatem investigare suo Marte, quidque statui ad definiri certò queat, invenire: neque enim ingens etiam auctorum turba opinioni, quàm tenet veram semper probabilitatem conciliat. Si quid ex dispositione et cognitione sacrorum canonum, aut ex subsidiariis Juris romani principiis decidendum est, eaque in re doctores dogmaticæ vel scholasticæ theologiæ discedant a sententia canonistarum, horum auctoritas tamquam peritorum in arte sua sine dubio præferenda est; quia, ut Melchior Canus animadvertit, ejusque rei notitia non aliis certius meliusque contingit, quàm ejusdem rei peritis hominibus. Propè ridiculum est quod de se ipse scribit Anacletus Reiffenstuel. Is, cum theologiam tractans de jure peculii clericalis cum theologis benignè seu laxè scripsisset, ad sacros legendos atque exponendos canones postmodum aggressus, a seipso ac priore sententia discessit quodque SS. canonibus omninò conformis reperit, cordatè statuit, mutata illa, inquit, sententia, quàm in theologia pro theologis potius, quàm juristis dedimus (1).

(1) Ad tit. de peculio clericorum n. 54 et 55, in fin.

## § IV.

## QUID CUM SOLA INEST DOCTRINÆ LAUS ET PRÆSTANTIA?

Sola *doctrinæ* laus et præstantia in causa divinæ religionis sufficere haud potest ad persuadendum et faciendam fidem. Faciunt id scriptores ætatis nostræ, ut, cum de potestate Ecclesiæ ac speciatim de juribus apostolicæ sedis agunt, auctores nominent, quorum doctrinam vastamque eruditionem mirificè prædicant et laudibus in cœlum ferunt. Quid ergo conficiunt? Id reor, fuisse homines doctos, qui religioni, qui Ecclesiæ, qui apostolicæ sedi adversati sunt: quis hoc negat, quis Origeni, quis Tertulliano, quis Nestorio, Photino, Apollinari doctrinæ præstantiumque librorum laudem ademit? Legant scribentem de iis S. Vincentium lirinensem, atque eo proposito scribentem, ut omnes catholici *intelligant, se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus Ecclesiæ fidem debere* (1).

## § V.

## DE ADVERSARIORUM TESTIMONIS ADHIBENDIS.

Ex dictis patet causæ religionis, Ecclesiæ et sedis apostolicæ non officere ullum præjudicium doctrinæ humanæ, qua adversarii religionis, Ecclesiæ et sedis apostolicæ pollent. Nam alia est rerum humanarum, alia divinarum scientia; contra si adversarius testimonium fert pro adversario, censetur fateri ac plenè probat; quemadmodum in utroque jure exponitur titulo *de confessis*. Ex hoc principio fit aliquando ut pro confirmanda doctrina vel praxi canonica adversarium Ecclesiæ dicta et facta utiliter afferantur. Exempla sunt hujusmodi:

1. Petrus Ballerinius perpetuam contexens atque exhibens traditionem de necessitate seu obligatione ecclesiarum particularium et singulorum fidelium in fide consentiendi cum fide romanæ Ecclesiæ afert præter cætera testimonium Pelagii et Cœlestii hæreticorum, atque ita disserit: "Mirum cuiquam videbitur, me obstatendam necessitatem unitatis fidei cum fide romanorum pontificum allegare ea testimonia hæreticorum ante condemnationem producta, quibus iidem post condemnationem et facto et scriptis contradixerunt. At ne hoc testimoniorum genus imbecillè credatur, illud animadvertendum est quod ea quæ ipsi ante condemnationem et antequam de Ecclesia pellerentur, confessi sunt, et traditione et comuni catholicorum sensu fuerunt expressa, dum catholicam illi mentem gererent, catholicosque se exhibere et probare catholicis vellent. Itaque ejusmodi ipsorum testimonia, catholicorum sensum et praxim præferentia, maximi faciendæ sunt; quibus sanè non contradixere, nisi postquam a romana sede condemnati, mentem et veritatem catholicam exuerunt, atque deseruere. Neque enim existimandum est Luthero, e. g. magis deferendum, cum post condemnationem Romani Pontificis primatum sibi infensum ne-

(1) In Commonitorio c. 23. De Origene ibid.; de Tertulliano c. 24. De Nestorio c. 16, ait: "Qui, ut uni hæresi suæ aditum patefacere, cunctarum hæresum blasphemias insectabatur." De Photino ibid., "erat et ingenii viribus valens et doctrinæ opibus excellens et eloquio præpotens; quippè qui utroque sermone copiosè et graviter disputaret, et scriberet; quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos idem partim græco, partim latino sermone composuit." De Apollinari, eod. c. 16: "Quid illo præstantius acumine, exercitatione, doctrina? Quam multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit."

gavit, quàm cum illum ante condemnationem ex communi catholicorum sensu professus est. Id quidem nec ipsos adversarios judicare, suadent illa cujusdam anonymi, nobis in hac causa (de necessitate consentiendi in fide cum romana Ecclesia) contrarii, verba: "Methodus priorum reformatorum est argumentum magni ponderis adversus ipsos. Disputationis initio confessi sunt Papam esse supremum Christi vicarium; nec ejus auctoritatem in dubium vocare cœperunt, nisi cum contra ipsos definivit; perindè ac si judex desinat esse judex, cum adversus aliquam partem sententiam pronuntiat, vel ac si veritas, cum incommoda esse incipit, veritas ampliùs non sit (Traité de l'autorité du pape. La Haye, 1720, l. 1, c. 3, n. 8, pag. 92)." Quæ pleræque in rem nostram faciunt, ut testimonia pro unitate fidei ab hæreticis initio producta, maximi habenda esse credantur, nec ex ipsis, quæ post derelictam Ecclesiæ unitatem edidit, infirmentur (1).

2. Exemplum elegans ejusdem rei peti potest ex iis, quæ Constantius contra S. Cyprianum disserit de argumento illo, quo S. Stephanus P. contra Afros rebaptizantes usus erat his verbis: "Cum ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum;" "rideat licet Cyprianus, inquit Constantius, ac prorsùs absurdam censeat rationem, qua traditionem istam Stephanus confirmabat; de illa tamen longè aliter judicabunt, qui eam attentius expenderit. Cum enim ab Ecclesia recesserint omnes hæretici, mirum non est eos de doctrina illius non nihil retinere; imò nullus reipsa est, qui non aliquid ex ea retineat. Cum igitur quantumvis inter se dissidentes in aliquo cum Ecclesia consentiant, hoc ab Ecclesia sibi traditum retinuisse meritò affirmantur. Quocirca et hæretici, qui verum Christi corpus in eucharistia negant, ab antiqua et constanti Ecclesiæ fide discessisse hinc convincuntur, quod variæ sectæ, quæ a multis jam sæculis, aliis in rebus a catholica discordant Ecclesia, hoc in dogmate cum illa concordant. Non igitur, ut scribebat Cyprianus, tunc ad hoc malorum devoluta est Ecclesia Dei et sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectaretur; sed ipsi potiùs hæretici, cum ad se ab aliis sectis venientes non baptizabant, id, quod in Ecclesia, antequam separarentur ab ea, usitatum et receptum viderant, sectabantur (2)."

## ARTICULUS V.

## DE RATIONIS ET PHILOSOPHIÆ USU IN JURE SACRO.

## § I.

*Rationis significatio.*

*Ratio* est facultas mentis perspicendi nexum rerum, seu ab una cognita veritate perveniendi ad aliam cum priore connexam. Quotiescumque ergo ex proposta auctoritate divina, vel divinitùs instituta, aut ex præmissis traditionum regulis, Scripturæ verbis, constitutionibus RR. Pontificum, canonibus conciliorum, sententiis VV. Patrum, suffragiis doctorum et jurisconsultorum progressio fit ad solvendam quæstionem dubiam, aut facti speciem decidendam; ratio usum habet et appellari potest *principium per quod* ex genuinis fontibus sacri juris veritas dedu-

(1) Petr. Bellerin. de vi ac ratione primatus RR. Pontificum c. XIII, § X. Similiter si jus post sententias præsulum inferiorem vel particularium conciliorum appellandi ad apostolicam sedem ostenditur ex perpetua traditione, nihil isti argumento officit; quod si qui appellantur aliquandò hæretici fuerint tum, vel postea declarati.

(2) Vide notam XI ad prolegomena.

citur, aut species facti deciditur. Atque hoc modo ratio per omnes vagatur locos juris nostri, et ab eorum usu, applicationeque abesse nunquam potest.

Ut autem omnis tollatur ambiguitas, alio præterea significato *ratio* sumitur, ipsaque in numero principiorum ponitur, sive appellatur *principium ex quo* dictata et regulæ vi naturali cognitæ de justo et injusto promanant, quæ dein normam præbent particulares quæstiones resolvendi, aut singulares definiendi causas. Quæ sunt placita Juris naturalis privati, socialis, universalis publici ac gentium, ratione adinventæ et excogitata, ratione nixa et demonstrata.

Exemplum utriusque significatus, quem *rationi* dedimus, istiusmodi est. Præcones hodierni tolerantia nemini facile de religione litem movendam esse, ex ipso sacro codice confirmare student. S. Paulus, inquit, Rom XIV, 3, præcipit: "Is qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet." ergo, inferunt, hæretici tolerandi sunt. Sed obsecro: ratione utere, et nexum antecedentis cum consequente inquire: quæ est enim consequentia, quæ connexio inter esum ciborum, eo tempore, sublato jam per Evangelium discrimine ciborum, omnibus permissum et inter hæreses divinæ religioni repugnantes, gravissimè vetitas, et apertè damnatas? De cibis ait Paulus: "Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat: quid commune esse, illi commune est (hoc est, immundum et vetitum)." De hæreticis verò ait: "Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit. Gal. 1, 9." "Rogo vos, ut observetis eos, qui dissensiones et offensa præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis;" in eadem epistola ad Romanos c. XVI, 17. "Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita: sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus (Tit. III, 10, 11)." Quæ igitur inter cibos et hæreses consecutio, quæ rationis conclusio est? Innumera istius generis hodie occurrunt apud eosdem scilicet, qui rationis vim et perspicaciam maximè jactitant, et in numero philosophorum censi volunt. Alterum exemplum præbent ii qui dictata Juris publici universalis ex ratione unicè promenda statuunt et ita inquit: Principis est invigilare, ne quid respublica ex religione detrimenti capiat; negotia Ecclesiæ nexum habent cum civilibus negotiis; multa sunt pietatis exercitia adiaphora, quæ sine salutis dispendio abesse possunt. His et ejusdem generis præmissis, tanquam indubitatis principiis ratione cognitis, mirum est quæ jura principum circa sacra indè concludant: Ecclesiæ potestatem quomodo constringant, religionis actus quantoperè imminuant. Quam justè autem id faciant, sequenti capite exponam.

## § II.

### DUPLEX RATIONIS FUNCTIO.

Duplex igitur rationis est functio: *Primò* investigare nexum inter conclusiones vel decisiones, et principia concludendi vel decidendi, alia ex fonte quam ab ipsa ratione petita. *Secundò* vi rationis exquirere et construere ipsa principia conclusionibus et decisionibus apta, et quasi fecunda. De prima functione præcipuè adnotanda videntur hæc capita:

1. Solerter expendi debet quid et ex quo fonte, quo argumento, qua causa deducatur id quod quæritur. Sæpè enim tanta copia et loquacitate congeruntur

verba, ut longa opus sit meditatione, donec assequaris quid primò ponatur et quid dein consequi deberet.

2. Eorum quæ primò ponuntur, vis et veritas et diversa significatio perquirenda est: fit enim sæpè ob ambiguas seu indeterminatas positiones et ancipites sensus, ut uno sensu, id quod antecedit, cum eo quod consequitur nexum habeat, alio sensu non habeat.

3. Cognita antecedentium vi et significatione primum quæri debet quanta necessitate cum iis connexa sit conclusio: sæpè enim non major datur connexio quam inter hæc duo, ut dialectici vulgò aiunt: Turca saltat: ergo baculus est in angulo. Verum hæc non tam præceptis perdiscuntur, sed cogitandi vi et solertia, ipsa tractatione disciplinarum atque eorum imprimis, qui illis præsumt profunda rerum cognitione, explicandique arte et diligentia.

De altera rationis nostræ functione, nempe de inventione ac constructione principiorum, quæ sola ratione fit, pluribus verbis disserendi necessitatem imponit falsissimè præjudicata seu jactitata opinio ætatis nostræ, quam *philosophicam* haberi volunt et singulari rationis luce effulgentem. Ita minuti scriptores ea incredibili temeritate atque impudentia scribendi judicandique de rebus omnibus, ingenii rationisque et scientiæ laudem sibi arrogant, quorum chartulas et foliola atque opuscula, si in manus sumat vir gravis rerumque peritus, sæpè ingemiscere cogitur et indignari, projectisque paginulis auctori inclamare: "Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius ego; et nescis, quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus (Apocal. III, 17)." Quid enim, si humanæ mentis imbecillitatem quis novit, tam repugnans rationi excogitari potest quam divinam religionem humano ingenio metiri velle? Atqui cæci homuli et mysteria divinæ religionis seu theoreticas veritates, et religionis præcepta, ritus ac ceremonias, quæ divina auctoritate vel divinitus instituta nituntur, ratione sua examinare, et discutere audent, de fide et necessitate fidei ad salutem, de unitate et communione catholica, de gravitate contrariarum hæresum ac scissionum, de ecclesiastica hierarchia, de sacramentorum vi, aliisque id genus inconcussis veritatibus non ex doctrina Ecclesiæ, non ex traditionis præscripto, non ex antiquitatis orthodoxæ sensu, sed ex deliramentis suæ imaginationis potius quam rationis statuunt definiuntque. Huic præsentia, vel potius cæcitati et insanie theologi, ex præscripto S. Vicentii lirinensis (§ CXXXI), opponunt sententias venerabilium patrum, qui luculentè uberrimèque locis ac temporibus plurimis explicarunt, quantoperè humana ratio in divinis rebus cæcutiat et subjici majori auctoritati debeat.

Si contra præcepta, ritus et conones Ecclesiæ commentis ingenii rationisque suæ pugnare velint homines superbi suarumque opinionum quas *philosophiam* ipsi vocant, nimium amantes, reddemus rationes, ob quas non multum sanè tribuamus rationi, si auctoritate destituta sit; si verò sacræ auctoritati omninò repugnet, nihil planè; ac

1. Respondebimus diviæ Spiritum vetuisse ne quis suæ prudentiæ innitatur. Addemus cum Hieronymo: "Prudentiæ suæ innititur, qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur, patrum decretis præponit." Item capitulum illud: "Canonum statuta custodiantur ab omnibus et nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis, suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur (c. 1, et 5 de Constit.)." Dicemus cum Leone et universa antiquitate: "Canones Spiritu Dei conditos esse et mundi reverentia consecratos;" quos, si revereri ipsi nolint, alia causa non est